

col. 277. hoc ingressu: *Qui ad conuiuium magnum invitantur &c.* Ad calcem iterum prolapsus est Scriba: *Iste est finis tercij libri de viduis Beati Ambrosij.* Non videtur Maurianis Codex de Viduis inscriptus occurriffe.

V. fol. 293. *Hic liber intytulatur de perpetua virginitate Marie beati Ambrosij.* Atque hanc esse Codicum mss. inscriptionem testantur Mauriani in *Admonit.* praeuia T. cit. col. 247. Edita vero praeferre: *De Institutione Virginis ad Eusebium.* Initium est: *Commendas mihi pignus tuum &c.* Perorationi, quae in Edit. constituit *Caput XVII.* et infit: *Nunc ad te decursis omnibus &c.* Miniator noster liberaliter praemifit: *Oratio beati Ambrosij cum gratiarum actione profusa de christi ortu et conceptu de virgine, et pro sacrate virginis deuota commendatione.* Ubi tu non B. Mariam, sed Ambrosiam puellam intellige, quae virginitatem Deo voverat.

VI. fol. 304. p. 2. *Incipit liber beati Ambrosij Episcopi de Excessu fratris sui satbyre.* (Satyri). Initium est: *Deduximus Fratres dilectissimi hostiam meam &c.* Sequitur etiam Liber II. titulo *De Fide Resurrectionis.* Superiore libro aliquid indulsum desiderio &c. Prout extant T. cit. col. 1113. In uniuersum Codex et a prima manu et a curis secundis satis castigatus et Editis conformis est.

Ad Thecam ejus interius utrinque conuestiendam arreptae sunt Membranae splendidi Codicis literis uncialibus hebr. absque pun-

ctis descripti et marginibus picturati, ubi ex uno latere Sponsi anulum praeferentis, ex altero Sponsae icon visitur, unde de Nuptiis Tractatum fuisse putem autore R. Schalom f. Menachem, de quo nihil apud Wolfium. Initium est

--- בששי בשבת כחמשה י"מ
אלפים ומאה וחמשים
&c. ושתים לבריאת עולם

CCXCIII.

Codex chartaceus lat. germ. U. 98
Sec. XV. Folior. 300. 4. plurimum currente calamo a diversis exaratus, miniatus, et, ut membrana praeuia docet, legatus Uniuersitati Varia complectitur, quae hic indicantur: I. est Regimen, uti vocabant, Sanitatis illustri cuidam Personae commendatum, quod incipit: *Omnipotentem deum et dominum nostrum ihesum christum humiliter inuoco, ut sit michi indigno baccalario ac phisico auxiliator ad satisfaciendum Vobis in omnibus articulis Vobis utilibus pro conseruacione sanitatis pro quibus me diligenter petiuiistis.* Recenset dein quatuor Utilia, et decem Noxia saluti. Inter priora est *bonum Regimen Sex rerum non naturalium*, quae deinceps totam paginam faciunt, inter posteriora *frequens minutio et excretio sanguinis, bibere ieiuno stomacho, sedere diu in mensa et longa sessio serotina*, et *noua brodialia nimis pinguia &c.* Medicamenta sub finem duo tantum commendantur *Tragea confortatiua seu saluatoris e glandibus, foliis quernis, zinzibere, cinna-*
momo,

momo, floribus muscatarum et zuccaro, item *Balneum* foliorum quernorum, salviae, rutae et serpylli, et sic concluditur *Υγιασι-κον*: *Vestra Dignitas scire debet, quod omnia quaecumque Vobis notaui et fideliter susproscripsi quibus sic continuare debetis omnibus diebus vite, quod omnia coram deo experta sunt. Deo gratias.*

II. fol. 7. *Omelia beati Ambrosij Episcopi in illud Lucae I. 39. Exurgens Maria abiit in montana &c.* Initium: *Morale est omnibus, qui fidem exigunt &c.* Legitur *Expositionis in Lucam L. II. edit. Maur. T. I. col. 1288. a n. 19. ad n. 30. f.*

III. fol. 9. *Nota lectiones de corpore christi per octavam.* Contextae sunt praeclaro delectu e PP. Locis, et absque divisione decurrunt. *Ordiuntur: Credendum est, quod in verbis christi sacramenta conficiantur &c.* et finiunt: *quia in via nos reficiens usque in patriam deducit.*

IV. fol. 15. *Sermo beati Bernardi.* In edit. *Maur. T. III. col. 1108.* inscribitur inter *Sermones de Diversis n. XII. De Primordiis, Mediis et Novissimis*, et infit: *Fili, memorare novissima tua et in aeternum non peccabis &c.*

V. fol. 16. p. 2. *Incipit probemium de arte moriendi.* Sic: *Cum de presentis exilij miseria mortis transitus &c.* Ipsa *Ars* in *sex Particulas* tributa cum mantilla *Orationum* pro *Moribundis* jam *Vol. I. P. I. coll. 629. et 972.* et alias indicata est.

VI. fol. 26. *Sermo beati bernardi abbatis Clareuallens. de Assumptione b. Virg.* Neque inter genuina, nec inter ei subposita reperi, nec ad eum pertinere putem. Brevis est, atque ita incipit: *Assumpta est maria in celum. gaudent angeli laudantes benedicunt dominum. Gaudent angeli gaudeamus et nos. etenim solempnitas agitur Marie. Que est hec Maria? &c.* et finit: *sed eiusdem filij illius Domini nostri facit gratia.*

VII. fol. 28. *Item alius sermo beati bernardi de Assumptione b. Virg.* Ita certa incertis junxit bona Majorum fides. Init: *Signum magnum apparuit in celo &c. Apoc. XII. 1. Vehementer nobis quidem dilectissimi vir vnus et mulier vna nocuere &c.* In edit. *Maur. T. III. col. 1006.* legitur *Dominica infra Octavam Assumpt.*

VIII. fol. 33. *Nota expositionem sex vocabula sermonis beati jeronimi de Assumptione beate Marie virg. qui sic incipit. Cogitis me o paula &c.* Expositionem hanc ex *Mammotreto* sumi dicit calx. Itaque *Job. Marchesinus O. M.* noti hujus, et sub *Typographiae* primordia saepius excusi *Lexici Biblici* autor non magis scivit, *Sermonem* hunc *Hieronymi* nomen falso praeferre. Unde inter *Spuria* comparet *Edit. Vallars. T. XI. col. 92.*

IX. fol. 34. *Sequitur Sermo de passione Domini beati Bernardi abbatis.* Dic potius: *Pars Meditationis IX. Anselmi Cantuar.* quae legitur in edit. *Paris. 1721. p. 219. f.* et incipit: *Respice domine*

in faciem christi tui qui tibi usque ad mortem obediens factus est &c. finitque: ac benedicat Deum Deorum in syon. Sit inclito ihesu cum deo patre et sancto spiritu &c.

X. fol. 36. Incipit sermo b. bernardi abbatis ad Petrum abbatem. Laus et commendatio Mirabilium Dei in Eucharistia, quae incipit: *Pater sanctissime petre. audi quid loquatur Dominus in periculo seruo suo. Rogo tamen, ut ea que audieris pro caritate christi taceas &c.* Vix ita Bernardus. Minus, si quid sapio, ita: *tamquam asinus pelle leonis. sic et adam honoris fastigio delectatus intumuit et plane desipuit. Abstractus ergo re-cto iudicio pelle leonis inuenit se adam asinum fetidum &c.* Denique non ita: *Mordeat fallax sophista linguam. taceant aristotilica argumenta. quia talis transsubstantiatio*

non inuenitur &c. ut enim C. IX. *Instructionis Sacerdotis de trib. praecip. Mysteriis seu Gemmae Crucifixi*, T. V. Opp. Bernardi edit. Maur. col. 532. legas: *Panis transsubstantiatur*, Instructio tamen illa Bernardi genuina non est, et quamvis Seculo Bernardum praecedente Lanfrancus et Guitmundus hac expressione usi sint, Ecclesia ipsa *Transsubstantiationis* vocem non nisi in Concilio IV. Lateran. a. 1215. recepit, Bernardo jam a. 1153. ad Superos translato. Interim candide fateor me, quem huic Autorem substitutam, ignorare.

XI. fol. 43. Incipit tractatus *De reformatione hominis et primo De imitatione christi et contemptu vanitatum mundi.* Primus ex aureis IV. Thomae Kempens. Libellis a noto Pentametro incipiens:

Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

distinctus in consueta Capitula, et emendate scriptus. Itaque statim se offert Germanifinus ille: *Si scires totam bibliam exterius. &c.* Primum hunc Libellum, uti et Quartum non raro seorsim in Codicibus occurrere, norunt Literati.

XII. fol. 57. p. 2. Tractatus, ut in calce legitur, *beati Iohannis Chrysostomi de hoc quod nemo leditur nisi a semetipso.* Initium: *Scio quod crassioribus quibusque et presentis vite illecebris inbiantibus &c.* Eadem Versio, quae habetur in edit. lat. Opp. Chrysostomi Paris. 1687. T. V. p. 300. f.

XIII. fol. 71. p. 2. *Magistri Job. Gews seu Geyzz de Teyning Viennensis Academici Decisio negativa Quaestionis: An in die parasceues vinum infusum in calicem maneat vinum, an post contactum partis hostie consecrate in calicem misse in christi sanguinem transmutetur.* Initium: *Quia nobis considentibus inter cetera nostre collocationis colloquia questio etiam fuit suborta &c.* Alia hujus Viri dedi Vol. I. cujus Indicem, si lubet, adi.

XIV. fol. 74. Sermo, ut iterum in calce, *de Assumptione beate Marie virg. Beati Ieronimi presbiteri*

biteri ad paulam et eustochium. Initium: *Cogitis me o paula &c.* Ejus *νοθεια* jam indicavi N. VIII.

XV. fol. 88. p. 2. Brevis Institutio de Cognatione spirituali hoc ingressu: *Sciendum quod spiritualis cognatio est propinquitas proueniens ex sacramenti dispensatione &c.* Adjecta sunt etiam bina Schemata.

XVI. fol. 90. ἀδεσπOTOS Expositio succincta *Cantici Cantic.* hujus initii: *In principijs librorum theologie tria sunt inquirenda, scilicet quis auctor, que materia, que intentio &c.* In vitula *Honorii Presb. Augustodun.* arat Noster, quem tamen tam parum novit, ut p. 2. *Papam* adpellet. Confer ejus Commentaria in *Bibl. PP. Lugdun. T. XX. p. 1153.* Ad calcem nobis additus est ipse *Canticorum Textus.*

XVII. fol. 115. Excerpta e *M. Nicolai de Dinckelspühl* cum *Sermonibus*, tum *Commentariis in Quartum Sententiarum.* Priora versantur circa Sacramentum Al-

Anglicorum (Anglor.) Regi conscripsit scola solempnis &c.

Exempla perfectiora Versus 373. 664. 1096. quin 1239. censent pro fato Opusculorum interpolationi obnoxiorum. Vide *Ren. Moreau Prolegom. ad Scholae Salernit.* editionem *Parif. 1672. 8.*

2) Virtutes *Galgani, Zinziberis, Muscati, Caryophylli, Cinnamomi, Piperis, Anethi, Baccae* nempe *Lauri*, adscriptum enim germ. *Loerper*, et *Juniperi rudi* versu, qui ad *Salernitanos* non pertinet.

taris hoc initio: *Notandum quomodo sacramenti consecratio et sumpcio fieri debeat &c.* Posteriora resolvunt varios casus partim de celebratione *Missae*, partim de *Baptismo* et extrema *Unctione.*

XVIII. fol. 130. Liber, ut in calce, *beati Augustini Doctoris eximij De salute anime sue, De manuali verbo Dei.* Incipit: *Quoniam in medio laqueorum positi sumus &c.* Lege *Monitum* Centoni huic praefixum in edit. *Maur. T. VI. append. col. 135.* quae enim continet partim *Augustini*, partim *Anselmi, Hugonis Victor. Bernardi* sunt. Unde nec mirum *Noftra* ab *Editis* versus finem deflectere.

XIX. fol. 144. Medica quaedam: 1) Versus 98. sic dicti *Scholae Salernitanae* conscripti *Sec. XII.* Facultatis tunc celebris nomine a *Johanne de Mediolano* in gratiam *Regis Anglorum*, qui fuisse videtur *Robertus Guilelmi Conquaeftoris* filius natu major e *Palaeftina* redux. Initium est:

3) Praecepta Sanitatis cum generaliter, tum contra *Pestem, Arenam, Vitia Stomachi*, ubi rursus germ. *Pfaffentüschl* et *Cyserwaffer.*

XX. fol. 152. Quaesita ex omni *Theologia* cum suis *Responsis*, quae singillatim percensere non est operae pretium.

XXI. fol. 174. *Evangelium S. Matthaei* cum *Prologo* illo: *Mattheus ex iudea sicut in ordine*

primus &c. Lineae saepe *Glossis* interstinguuntur, sed Textus jam ad C. V. abrumpitur.

XXII. fol. 187. Doctrina Temporum olim *Computus*, *Compotus* dicta, quae incipit: *Circa initium computi notandum. Scientia stellarum ex te et ex illis. sic scribit ptholomeus Doctor astronomie egregius* &c. In confinio Sec. XV. et XVI. saepius impressa hic sine truncata est.

XXIII. fol. 200. Post Expositionem *Orationis Dominicae* sequuntur *Homiletica* quaedam in varios Scripturae textus magnam partem imperfecta.

XXIV. fol. 217. Tractatus de *Rhetorica*, seu potius scribendis Epistolis, cujus ingressus: *Imitantes vestigia aristotelis dicentis Melius est pauperem ditari quam philosophiam* &c. Succedunt brevibus Praeceptis Exempla, videlicet Epistolae, in quibus cum Nomina *Job. Remer, Cunradi Hirtenberger, Job. Nottunst* &c. Urbes *Ratispona, Sulczpach, Cham*, et annus 1432. occurrant, fictas non censeo, irata tamen Minerva a Didascalo quodam collectas.

XXV. fol. 229. Sermo germanicus prolixus de S. Spiritu, ejusque VII. Donis, absque inscriptione sic orsus: *Ir liebste in got der beylig geist der wiert noch bewert vnd tügleich gemainklich gesandt unsichtklichen einem yeglichen frummen menschen der sich darzu beraitt* &c.

XXVI. fol. 253. Sermones VI. eadem lingua in totidem Quadra-

gesimae Dominicas, quorum I. incipit: *Nun wil ich erczelen vnd sagen vier ubl die da cbüment aus czwittracht vnd misbelung* &c. Septem Filias vanae gloriae statuit Orator noster. De tribus prioribus ante Quadragesimam tractasse videtur. Hic quartam et quintam Diffensiones videlicet et Contentiones persequitur; Dominica vero Palmarum ait, se sextam et septimam, irrisiones nempe (*traczmuetikait*) et curiositatem (*furbitzikait*) dilaturum, acturumque de Historia Evangelii et digna ad S. Coenam praeparatione. Multa hic Vocabula antiquata: *Varicht* pro *Furcht*. *Daigen* pro *Diesen*. *Jach* pro *Bekannte*. *Prechen* pro *Gebrechen*. *Widerczam* pro *Widerspännstig*. *Tar* pro *Thöricht*. *Weyczen* pro *Fegeseuer* &c.

Fol. 198. hujus Farraginis legitur: *Iste liber Prantlini fuit pie memorie. Et Paulus Plebanus in Regen ad huc quam plures habet. Cujus attestatur Petrus Serttman de Osterhofen Rector in Viechtach. Unde e Bavaria huc adlatam oportet.*

CCXCIV.

Codex membranaceus lat. in confinio Sec. XII. et XIII. scriptus Folior. 138. f. per duas columnas caractere grandi elegantissimo, quamvis non una manu, rubricis distinctus et olim *Montis Pomerii*, vulgo *Baumgartenberg* Ord. Cist. in *Austria* super. sequentia fervat: I. Fragmentum *Libri II. de Cain et Abel S. Ambrosii* a n.